DE
CVSTODIBVS
SEPVLCRORVM
APVD ROMANOS

COMMENTATIO.

AVCTORE

LVDOVICO GVILIELMO IVNIO.



LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VIRO

MAXIME REVERENDO EXCELLENTISSIMO
CELEBERRIMOQVE

DOMINO

M. CHRISTIANO Gottlob
EICHLERO

S. S. THEOL. BACCAL. ET AD AEDEM D. NICOLAI
DIACONO

PATRONO AC FAVTORI
PIE COLENDO

HANC

DE SEPVLCRORVM APVD ROMANOS CVSTODIBVS
COMMENTATIONEM

D. D. D.

SIMVLQVE

LICENTIATVS IN THEOLOGIA HONORES

FAVSTOS ESSE IVBET

LVDOVICVS GVILIELMVS IVNIVS.

VIR

MAXIME REVERENDE ET CELEBERRIME.

Si mihi vaferrimorum quorumdam hominum mos ac consuetudo placeret, iam ad TVAE secundioris fortunae vultum meam quoque frontem effingerem, de TVA ipse impensius gloriarer felicitate, denique omnia verborum sectans lenocinia, TVVM blanditiis expugnare animum adlaborarem. Ego vero qui naturali quodam illud profanum vulgus instinctu odi, aurae popularis arbitrio nunquam virtutem aut ponere, aut sumere secures solere, cum probe sciam, eam sol-

lemnem mihi veluti indixi legem, vt, licet nunquam virtutem odio profequerer incolumem; ipfe tamen fictas aliorum laudes decantare, opus multo iudicarem periculofiffimum. At iam verendum mihi non eft, vt certae illius ac definitae legis fines tranfcendam. Enimuero cum tertio abhinc anno TECVM *arctiori vinculo me, meosque omnes bona fociaret fortuna, fieri non potuit, quin ftatim virtutes ac eruditionem, quam in* TE *eminere ac elucere videbam, admirarer, fimulque follemne illud* TVVM *feruarem exemplum, quo mihi ad euehendam in dies doctrinam, moresque nitidius formandos, nullum aptius luculentiusue, non fine vano augurio, videbatur. Habet hoc omnino praeftans et excellens virtus, vt, ftatim atque innotuerit, animos quoque fibi conciliet, et licet nullis vtatur illecebris, naturali tamen et veluti natiua adliciat pulcritudine. Siue enim infignem illam* TVAM, VIR MAXIME REVERENDE, *rerum diuinarum ac huma-*

mana-

manarum scientiam cogitem, siue pietatem intuear, omnibus actionibus religionis auspicio initiantem; semper mihi aliquid deprehendisse in iis videor, quod, si non viuis depingere coloribus, saltim vt plerisque mos est, adumbrare possim. At enim vero magnitudinem animi TVAM *cum nouerim, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert, vehementer profecto errarem, si orationem de* TVIS *laudibus differentem,* TIBI *gratam fore, augurarer. Equidem noui in Theologia honores faustis ad* TE *delati ominibus, tantam* TIBI *famam et gloriam parant, vt laudibus* TVIS *tanquam gemmis quibusdam distinguere velle epistolam, superuacaneum mihi videatur. Quare nunc potius hac* TVA *felicitate laetabor, et quemadmodum plures sollemnem illam bene precandi formulam: Feliciter!* TIBI *adclamaturos esse, pulcre praeuideo: ita quoque nouos, quos adeptus es honores, bona* TIBIQVE *dedita mente congratulabor. Nihil enim solet esse*

 iucun-

iucundius, quam laborum promerita tandem mercede frui, et quibus TE dignum videas, honores obtinere. Quae cum TIBI, VIR CELEBERRIME, hodie contingat fortuna, non possum non animum TIBI ad laetitiam compositum demonstrare, simulque adfectum meum quodam veluti spondere pignore. Et haec caussa sola me impulit, vt hanc de sepulcrorum apud Romanos custodibus commentationem, impolitum fortasse opusculum, sed religionis tamen in TE meae documentum, nomini TVO inscriberem et consecrarem. Accipies ergo, quas TIBI sacras esse iubeo paginas, et si nulla delectatione animum TVVM demulcere possint, esse suam studiis quoque infantiam, cogitabis. TE vero, deliciae meae, sanctioris ciuitatis emolumento, voto bonorum omnium, meo denique desiderio, numen optimum maximnm diutissime seruet ac tueatur. Vale. Scribebam Lipsiae d. XVIII. Septembr. M DCC XLIV.

D E



DE CVSTODIBVS SEPVLCRORVM APVD ROMANOS COMMENTATIO.

§. I. PROOEMIVM.



um plurimis in rebus vetustissimorum populorum dissidentes inter se et discordantes reperiamus animos: tum in hoc maxime, quod omnes de morte, et iis, quae post mortem futura sunt, singularem sibi induerint opinionem. Quamuis enim illud insitum erat priscis, quos cascos adpellare consueuit ENNIVS, esse in morte sensum, neque discessu vitae sic deleri hominem, vt funditus interiret: [a]) multi tamen erant, quibus doctissimorum illa hominum opinio acute potius, quam vere excogitata, [b]) quin immo ipsa, qua fruimur vita, mors videretur [c]). Quae cum ita fuerint,

a) vid. CICERO. L. I. Tuscul. Quaest. C. XII.

b) Ita potissimum sentiebant EPICVRI sectatores, cum ipse EPICVRVS mentis immortalitatem e philosophia sua proscripserat. Inde LVCRETIVS metum luctumque in morte suauiter ridet L. III. de rerum nat. v. 907. sqq. p. 88. 89. ed. TAN. FABRI, quae CANTABRIGIAE 1686. in 8. prodiit.

c) Quare non mirandum, iam olim EVRIPIDEM dixisse:

Τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δὲ, ζῆν κάτω νομίζεται;

et alio in loco:

fuerint, facile sibi quisque persuadebit, vt alios, adueniente mortis die, lugubri fata sua deplorasse querela credat; alios contra ea nunquam tristem fortunae vicem gementes, cum cantu atque voluptate, tanquam in domum politiorem nitidioremque migrarent, e vita fuisse egressos. Quemadmodum vero sententias antiquissimarum gentium dissociatas nouimus; ita quoque inde varias in sepultura caerimonias et dimanasse et in dies latius serpsisse, neminem, nisi diem omni dixerit vetustati, ignorare arbitramur [d]). Disertus esse possem, si de iis dicere vellem. At enim vero omnes sepulturae ritus, vt quidem multi fecere, nec enumerare, nec enodare in animo est. Ego contra priscam illam mente atque cogitatione Romanorum vrbem repetam, qua nullam vnquam rempublicam nec maiorem fuisse, TITVS LIVIVS [e]) scribit, nec sanctiorem, nec bonis exemplis ditiorem. At mihi haec consideranti, nihil semper praeclarius in omni gente Romana, more illo antiquo, et ab omnibus fere recepto, fuit visum, quo scilicet per monimenta, seu viuis, seu mortuis, publice priuatimue posita, bonorum ciuium memoriam sanctam atque perpetuam esse voluerunt. Quodsi haec modo contemplari voluerimus, veteres vrbis Romae ciues ambitiosos veluti in malis fuisse, reperiemus. Enim vero monimenta, quibus viae Romam circumiacentes agri et horti superbiebant cum cernimus, titulos lapidibus

Ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά.
Τὸν δ' αὖ θανόντα, καὶ κακῶν πεπαυμένον,
Χαίροντας, εὐφημοῦντας, ἐκπέμπειν δόμων.

Adde SEXT. EMPIRICVM L. III. c. XXIV. qui ὅτε ἡμεῖς ἀποθνήσκομεν, τὰς ψυχὰς ἀναβιῶν καὶ ζῆν autumat. MACROB. in somn. Scip. L. I. c. II. CICERON. Tuscul. Qu. L. I. c. XXXI. et XLIIX. et denique BAYLIVM Dictionaire Historique et Critique voce CRANTOR lit. D. p. 930. Tom. I. et in voce OVIDE lit. H. pag. 2143. Tom. III. edit. ROTTEROD.

d) Hinc diuersam apud diuersos sepulturae rituum rationem inuenimus. Illi, qui in morte hominem extingui negabant, splendide inter se defunctos sepeliebant; cum contra alii mortuos obscuro loco negligenter abiicerent. Totam rem eleganter explicuere CICERO Tusc. Qu. L. I. cap. XLV. et ALEXANDER AB ALEXANDRO genial. diet. L. III. c. II. Tom. I. pag. 548 sqq. ed. LVGD. BAT. De Thracibus refert HERODOTVS in TERPSICHORE, pag. 288. ed. GRONOV: Τὸν μὲν γινόμενον περιϊζόμενοι οἱ προσήκοντες ὀλοφύρονται, ὅσα μιν δεῖ, ἐπεί τε ἐγένετο, ἀναπλῆσαι κακά· ἀνηγεόμενοι τὰ ἀνθρωπήϊα πάντα πάθεα· Τὸν δὲ ἀπογινόμενον παίζοντές τε καὶ ἡδόμενοι, γῆ καλύπτουσι, ἐπιλέγοντες ὅσων κακῶν ἐξαπαλλαχθεὶς, ἔστι ἐν πάσῃ εὐδαιμονίῃ· Adde LVCIANI de luctu lib. pag. 307. opp. Tom. II. edit. GRAEV.

e) LIVIVS statim in praefat. op.

lapidibus diis manibus dicatis incisos cum legimus, annuam pie defunctorum memoriam renouantes Quirites, ipsos denique custodes sepulcris adpositos cum videmus, possumusne dubitare, quin Romani eas demum felices iudicarint horas, quibus et pristini temporis reminisci poterant acerbitatem et mortuorum memoriam omni aere ac marmore reddere perenniorem. Equidem non ignoro, multos, eosque doctissimos viros curam monimentorum perquam eleganter depinxisse; sed nescio, qui factum fuerit, vt omnes fere de custodibus, sepulcrorum geniis quibusdam tutelaribus breuissime exposuerint. Quare si modo has res efficere possumus illustriores, paullo studiosius morem sepulcra custodibus muniendi indagabimus. Sed vt quam plurimos facere vidimus, qui, cum aliquid sua industria polire student, rei, quae ad eam pertinere videntur, praemittunt: sic nobis placet, veterum sepulcrorum religionem, ornatum atque situm primum delineare; de ipsis vero sepulcrorum custodibus postea luculentius enodatiusue differere.

§. II.

DE SEPVLCRORVM APVD ROMANOS RELIGIONE ET SANCTITATE.

Sepulcrorum inter Romanos religionem explanaturi eo breuius in ea exponenda versabimur, quo vastiores a doctissimis viris editos esse nouimus commentarios, quibus monimentorum sanctitatem multis iisque exquisitis rationibus confirmauere. Equidem non dubito, fore plerosque, quibus, sepulcra sacra, vel sancta si vocare velis, omnino displicere videaris. Sed hi erunt fere, qui omnes in verbis sectantes aucupantesque quisquilias ipsos his vocibus Romanos promiscue fuisse vsos, data veluti opera ignorant. Scilicet paucos tam cruda ad antiquorum rituum indagationem adferre studia arbitror, vt ne PLINIO [f]) CA-

f) Vide PLINIVM histor. nat. l. II. c. LXIII. p. 71. ed. GRONOV. Terra hio, inquit, a reliqua natura nos abdicatos, vt mater operit, nullo magis sacramento, quam quo nos quoque SACROS facit. Adde DALECHAMPII notam ad loc. PLIN. cit. et COEL. RHODIGIN. L. A. l. XIX. c. XIX. p. 792. ed. WECH. Inde PLVTARCHVS mortuos in vita Numae ἱεροὺς vocat, quoniam eorum sacra sunt sepulcra. A LYCOPHRONE ἁγνοὶ dicuntur ἱερά.

TVLLO [g]) CICERONE [h]) et QVINCTILIANO [i]), qui scriptores omnes, si quoque caerimoniarum rituumque in illis demas copiam, naturali quadam adliciunt pulcritudine, sepulcra olim sacra fuisse dicta, edocti sciant. Iam si porro inscriptiones ac monimenta veterum ipsam scribendi modo ac ratione vetustatem superantia, ad causam meam orandam adferre mihi mens esset, quam late, obsecro, sermo non possit exspatiari, cui tamen finem terminumque in his rebus constituere didici. Ne vero inuidia disputationibus de verbis solum institutis veluti propria, labefactetur oratio, reapse quoque mortuorum apud Romanos domicilia sacra sanctaque fuisse probare adnitar. Quodsi enim illud sanctum atque sacrum esse censetur, quod ne quis violet, lege cautum atque capite sancitum est: nemo profecto erit, qui sepulcris, quorum violationem capite plectere solebant veteres, religionem sanctitatemque denegare velit [k]). At enim vero quo sepulcrorum sanctitudinem augustiorem efficerent Romani, non solum ipse, quo cadauer sepultum conditumue erat locus, sed certum simul, quod mireris, spatium septo plerumque cinctum religione occupari credebatur [l]). Quare dissolutos furum aliorumque nequitiorum hominum mores non melius compesci posse, veteribus erat persuasum, quam si quidquid opum pecuniaeque haberent, in iis absconderent, et clausum veluti in arca Iouem sepulcris inexpiabili religione sancitis, PLAVTO [m]) et TERENTIO [n]) testibus, adsociarent. Quin immo ne quosdam post

obitum

g) Vide sis CATVLLVM epigr. VII. pag. 14. ed. GRAEV.

h) CICERO Philipp. IX. cap. VI. et l. IV. de rep. vt quidem refert NON. MARCELLVS in voce SANCTITVDO, quem vide pag. 173. ed. quae PARIS: 1614. lucem adspexit.

i) Euolue QVINCTIL. declam. X. pag. 147. Tom. II. opp. ed. GRONOV.

k) Illis enim hominibus, quibus οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔτε μνῆμα ἱερά antiquissimis iam temporibus legem datam fuisse scimus. Adde DACERIVM ad FESTVM in voce RELIGIOSVS pag. 436. ed. quae AMSTEL. 1699. prodiit, et KIRCHMANNVM de Funere l. III. c. XXI. pag. 319. 320. ed. FRANCOF. vbi sepulcra proprie religiosa fuisse vocata, profitetur.

l) Vide HEINECCII egregii olim viri Antiquit. Rom. Iurisp. illustr. l. II. c. IV. et BRISSON. Antiquit. e Iure select. l. II. c. XV. p. 79. ed. nou. qui de monimentis et sepulcris eorumque, si ad sanctitatem spectes, discrimine exponit.

m) PLAVTVS in Pseud. I. IV. 19. p. 794. ed. GRONOV.

n) TERENT. Prol. in Eunuch. v. 12, 13. p. 147. ed. SCHREV. Iam in Cyri monimento, teste ARRIANO

inuenta

obitum fati prosequeretur miseria, ipsi monimentorum tituli sollemni quadam ratione vetabant. Hinc apud GRVTERVM in op. Inscript. ed. nouiss. pag. DCCCCXXII. 3.

RVPILIAE FORTVNATAE

QVI HANC ARAM SVST MAN IRAT H. o)

Sed in his copiosiores esse nolumus, cum plurimis haud ignotum sit, quam sancte Romani ipsa in sepulcris adorantes silentia, pios defunctorum manes numina doloris sui fuerint deuenerati.

§. III.

ROMANORVM SEPVLCRA EXTRA VRBEM FVISSE EXSTRVCTA IN VIIS PRAECIPVE PVBLICIS AGRIS ET HORTIS.

Quamuis apud plerosque antiquissimos populos, mortuos extra vrbem fuisse terra conditos relatum legamus p); apud Romanos tamen, vt SERVIVS q) docet, primis statim reipublicae efflorescentis temporibus in domo sua locum sepulturae idoneum

nancisce-

inuenta fuerunt καὶ στρεπτοὶ, ἀκινάκαι, καὶ ἱμάτια, χρυσᾶτε καὶ λίθοι κολλητά.

o) Lege simul FLEETWOOD in Sylloge Inscript. LONDINI edita T. II. p. 517. vbi inscriptionem, quanta Christianis sepulcrorum religio fuerit, testem improbam profecto adducit. Sed recte meo quidem iudicio SPONIVS: Multa epitaphia pro Christianis haberi, non quod christianum aliquod spirent; sed quod in Christianorum coemeteriis cum reliquis aliis reperiantur.

p) Id quod de Graecis CICERO probat: Ab Atheniensibus, inquit, locum intra vrbem sepulturae vt darent, impetrare non potui, religione enim se impediri dicebant, et nemini id antea fuisse concessum. Hinc tria illa gymnasia, in quibus mortuos sepeliendi consuetudinem Athenienses habebant, extra vrbem fuisse, scribit HIERONYM. MERCVRIALIS l. de arte gymnastica veterum I. c. VI. pag. 21. ed. AMSTELOD. Equidem antiquissimis vetustissimisque temporibus legem inter Thebanos viguisse, qua nemo domum aedificaret, quin loco sepulturae simul prospiceret, pulcre scio; quare mortuos extra vrbem humo mandandi consuetudinem recentioribus praesertim saeculis mirifice placuisse, non est, quod dubitemus. Vide POTTERI celeberrimi Angli, Archaeologiam Graecam. l. IV. c. VII. p. 571. ed. LVGD. BAT. in fol. At iam apud sanctam Ebraeorum gentem, nullius mortalium cadauer licebat Hierosolymis sepelire praeter reges e gente Dauidica et prophetas. Add. RELAND. in Ant. Ebr. sacr. part. II. c. IX. pag. 139. ed. nou. et CVNAEVS de rep. Ebr. l. I. c. VII. p. 70. ed. nou.

q) SERVIVS ad Aeneid. l. VI. v. 152. T. II. p. 966. ed. VIRGILII; EMMENESS. Apud maiores, ait, in suis

domibus

nanciſcebantur omnes. Verum vt nihil in hominum rebus tam egregium et conſtans cenſetur, vt non aliam induere poſſit faciem; ita quoque ipſa Romanorum ſepulcra, ipſi ſacrati morte lapides hanc communem rerum experti fuere viciſſitudinem. Eandem enim in ſepulcris ex vrbe in vias transferendis ac Graecos legem ſibi dixiſſe Romanos, nemo mirari debet, qui non prorſus ignorat, quam lubenter veteres vrbis Romae ciues omnes fere Graecorum ritus ad quandam concinnitatem elegantiamue compoſitos retinuerint ac propagarint. At enim vero in vrbe ſepulcra exſtruendi conſuetudo haec ſollemni quaſi lege abrogata fuit, quae, vt CICERO [r]) refert, hominem mortuum in vrbe ſepeliri comburique prohibebat. Huius autem rei multas atque inſignes adfuiſſe cauſas, quis eſt, qui dubitet? Siue enim ignis periculum ab vrbe amouendi auerruncandique gratia, ſeu quia defunctorum corpora foetore aliquando detrimentum vrbi adtulerant, proſcripta veluti ex ea cenſent CICERO [s]) et ISIDORVS [t]) Neque deſunt, qui ideo extra vrbem in viis praecipue publicis ſepulcra aedificata fuiſſe exiſtimant, vt ſcilicet ciuium animi ad propulſandam iniuriam et ad arcendos hoſtes muris, finibus et agris ipſa monimentorum recordatione incitarentur. Sed quemadmodum omnibus viis iisque publicis mortuorum cineres gelida in vrna requieſcebant, rudes ſimul praetereuntium viatorum animos pia quadam demulcentes admiratione: ita tamen harum viarum Appia, Aurelia, Oſtienſis, Flaminia et Tiburtina extitere celebriores. [u]) Ne vero vias his monimentis mortuorum perpetuae dicatis memoriae ſolum fuiſſe inſignes, exiſtimes, quandam e GRVTERI Inſcript. op. antea dictis adiiciam inſcriptionem, quae quidem de hortis mortuorum ſepulcris conſpicuis abunde teſtatur: [v])

HI HORTI ITA VTI OPTIMI MAXIMIQVE
SVNT CINERIBVS SERVIANT MEIS cet.

Vide

domibus omnes ſepeliebantur, vnde etiam vmbras laruas vocamus, Vide ſimul VOSSIVM in Etymol. in voce LAR.

r) CICERO de legibus l. II. c. XXIII. quo cum ſocia ALEX. DONATVM in Roma vetere ac recente l. I. c. VI. p. 15. ed. AMSTEL. et c. VIII. p. 19. ed. cit.

s) CICERO l. cit.

t) ISIDORVS l. XIV. c. II.

u) Vide DONATVM de vrbe Roma l. cit. et Inſcriptiones paſſim apud GRVTERVM viarum ſepulcris inſignium mentionem facientes.

v) GRVTERVS opere Inſcript. p. DCXXXVI. 12.

Vide praeter ea EVTROP. l. VII. c. XVI. MACROBIVM l. II. Saturn. c. IV. ſimulque et monimenta in agris et hortis ita fuiſſe ſita, vt viam quandam ſpectarent publicam, et Romanorum hac in re cum Ebraeorum Graecorumque conſuetudinibus obſerua conuenientiam.

§. IV.

DE EXSTRVENDI SEPVLCRA MODO IANVIS ET ORNAMENTIS.

Antiquiſſima populi Romani ſepulcra omni arte elegantiaue deſtituta, ſi eorum indagare velis originem, cauernae in terram erant defoſſae x) adeo, vt mireris veteres Romae ciues etiam hac in re auitate veluti frugalitatis fuiſſe ſtudioſiores tenacioresue. Sed quod plerumque accidere videmus, vt hominum ingenia manſuefacta demum et exculta ad elegantiora magis nitidioraque defluant, id quoque apud Romanos euenit, quos vna cum vrbis incrementis ipſa defunctorum monimenta auguſtiora reddidiſſe, compertum habemus. Tantum enim abeſt, vt in recentiorum temporum ſepulcris eorumque ſtructura inficetum ſaeculi genium culpes, vt potius omnia affabre facta, lapidibus plerumque ſtrata, nec minore cura ac arte, quam viuentium ornata aedes, lubens admireris. Scilicet vt columnas, inſcriptiones, arcas, arma in illis, tanquam in ſacellis adfixa, vrnas, loculos, lucernas atque multa alia ſepulcrorum ornamenta taceam, ianuis fuere conſpicua, quae vix dici poteſt, quantum illis ſplendorem elegantiamue conciliauerint. Neque eſt, quod multis arceſſitis aliorum teſtimoniis rem faciam luculentiorem. Quapropter teſtem e multis aliis adducam ALBINOVANVM y). Hic cum dicere potuiſſet Agrippae obitum, mortem Octauiae ſororis ſtatim fuiſſe ſecutam, ita ianuarum

x) Hinc dicta ὑπόγαια, hypogaea, vt PETRONIVS habet. Vide ſimul Etymologici auctorem in voce. Ἡρία. Ita enim nominabant ſepulcra παρὰ τὴν ἐπιχεομένην τοῖς νεκροῖς ἔραν, vt THEOCRITI interpres in Pharmac.

y) Vide Eleg. ad Liuiam Auguſt. quisquis ſit illius auctor, quem alii ALBINOVANVM, alii OVIDIVM fuiſſe, contendunt, alii incerti poetae carmen eſſe, dicunt, et quidem v. 70. pag. 16. ed. ALBINOV. AMSTEL. cura CLERICI. Huic ſuffragatur XIPHILINVS in Seuero: Καὶ τὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου μνημεῖον συνέκλεισεν, ἵνα μηδεὶς ἔτι μήτε τὸ σῶμα τούτου ἴδῃ, μήτε τὰ ἐν ἐκείνοις γεγραμμένα ἀναλέξηται. Adde MARCELLIN. l. XIV. Hinc πύλαι ᾅδου et κλεῖδες ᾅδου in ipſis innueniuntur ſacris paginis.

ianuarum ſepulcri mentionem faciens, canendi ſimul amplificat materiam:

Vix poſito Agrippa tumuli bene IANVA clauſa eſt,
Perficit officium funeris ecce ſoror.

At enim vero non ſoli polita ac elegantia mortuorum domicilia in deliciis habebant Romani. Antiquiores illis Graeciae populi in exſtruendis ſepulcrorum aedificiis, nimium, vt CICERO [z]) refert, fuere ſumtuoſi. Et profecto quacunque parte eorum conſiderabis monimenta, ibi, vt ille ait:

Τύμβον κατόψει ξεστόν.

Adeo Graecis ſollemnis illa ac perantiqua curae cordique erat formula: ΤΟΥΣ ΑΓΑΘΟΥΣ ΚΑΙ ΘΑΝΟΝΤΑΣ ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ ΔΕΙ.

§. V.

VARIA CVSTODVM APVD ROMANOS GENERA RECENSENTVR.

Quanquam non temere quemquam tam alienum ab his rebus credamus, vt ne ea, quae a nobis hactenus fuere diſputata, iam dudum nouerit, adeoque harum rerum expoſitionem omittere potuiſſe videamur: attamen cum has res tam arcto inter ſe coniunctas vinculo, vt nunquam ſeiungi ac diuelli poſſint, et amputata iam ac veluti circumciſa; quae alias rerum turbidum effecerint ordinem, reperiamus, nunc demum de cuſtodibus ſepulcrorum explicabimus. Verum enim vero ſollemne veluti inter Romanos ac vulgare erat cuſtodum vocabulum, quo non ſolum ſanctis dominorum ſepulcris libertos adſidentes, ſed alios quoque quamplurimos inſignire conſueuerant. Scilicet liminibus ac carcerum ianuis cuſtodes adpoſitos ſcimus, quorum hi, vt SAGITTARIVS [a]) teſtatur, ne aditus pateret carceris, cibique inferrentur, ſedulo cauebant; illi vero clauis curam gerentes domum deosque

z) CICERO de Legib. l. II. c. XXV.

a) CASP. SAGITTARIVS in libro de ianuis veterum pag. 115. ed. a. 1672. vbi hanc ſententiam auctoritate PLINII hiſt. nat. auctoris confirmat. Adde CHRIST. WEISII Theol. D. quem rebus humanis ereptum adhuc luget pietas, diſſert. de Spiritu S. Ianitore, ad Ioann. c. X. v. 3. variis ex antiquitate obſeruationibus illuſtratam.

deosque Lares ab omni, quantum quidem fieri poterat, dolo, eodem teste [b]), defendere adnitebantur. In sollemnibus votis non modo de scripto praeiisse aliquem, vt BARNABAS BRISSONIVS docet [c]), verum etiam adhibitos adpositosque custodes et obseruatores vota nuncupantibus qui adtenderent, neminem ignorare arbitror. Equidem consueuerant inprimis veteres, si IVVENALI [d]) et PAVLO MERVLAE [e]) fidem habere velis, in comitiis, ac dum poculis hilare splendebat conuiuium, opera custodum vti, quin etiam ipsis, e PLAVTI [f]) sententia, iuuenibus, vt nempe multo ferocissimi eorum mores emendarentur virtutibus, adsociare. Neque est, quod ex his qualibuscunque paginis illud veluti proscribamus custodum genus, quibus LIPSIVS [g]) vir elegantis, dum vixit, ingenii, id monstrum, praefiscine hoc ego dixerim, commissum dicebat, cuius non Argum cum Mercurio custodiam habere posse illi videbatur. Nempe cum solitariae et veluti vmbratili vitae virgines ac feminas oculis ceteroquin venantes viros, consecrarint Romani, insigni et pulcra facie puellas gynaeceis abscondentes, factum est, vt illas, ne quid licentius vel dicere vel agere possent, custodibus, vt tum erant tempora, circumdatas ac veluti, obseptas viderent iuuenes. Inter tot ac tam diuersa custodum genera fuere quoque, qui sepulcrorum custodes vocabantur. Vt vero, quid sit id, de quo disputatur, tanto facilius possit intelligi, hos inter custodes, sepulcri nomine qui veniant, indicabimus, de horum vitae conditione et officiis deinde expositurí.

§. VI.

b) Euolu. SAGITT. de ian. vet. pag. cit.

c) Vide sis BRISSONII opus de sollemnibus populi Rom. formulis l. I. c. CLXXIIX. pag. 97. ed. nou.

d) IVVENALIS Satyr. V. v. 37. ita eorum delineat officia:

Ipse capaces
Virro tenet phialas. Tibi non committitur aurum,
Vel si quando, datur, CVSTOS adfixus ibidem.

e) Vide MERVLAE de comitiis Romanorum commentarium, c. V. §. 5. quem libellum vna cum reliquis huius viri eiusdem generis scriptis sub ANTIQVITATVM ROM. titulo LVGD. BAT. 1686. prodiisse nouimus.

f) PLAVTVS in Captiu. Act. III. Scen. V. v. 50. vbi GRONOVIVS in notis pag. 221. ed. suae hanc vocem per paedagogum explicat.

g) Vid. LIPSIVS in TACITI Annal. l. XI. c. XXXV. pag. 182. ed. PLANTIN. in fol. a. 1668.

§. VI.

CVSTODES SEPVLCRORVM QVINAM FVERINT DEFINITVR. DISTINCTOS FVISSE A CVRATORIBVS PROBATVR. LAPIDES DENIQVE SEPVLCRORVM CINERVMQVE VOCATOS CVSTODES DEMONSTRATVR.

Custodum sepulcrorum varii quidem fecere mentionem, sed nisi egregie fallor, paucissimi, qualis eidem verbo subsit sententia, explicuerunt. Enim vero IVLIVM FIRMICVM MATERNVM, virum sui temporis solide eruditum, si excipias, qui monimentorum custodes breuiter descripserit, inuenies prope neminem. Caue vero, existimes, hoc ea a nobis mente proferri, vt alienis hanc ob causam gloriari bonis nobisque ipsis veluti plaudere velimus; res enim, quae in hac commentatione adhibendae videbuntur, multi auctorum classicorum suppeditabunt libri, vt adeo de quadam horum hominum delineatione adornanda non multum videatur laborandum. Et IVLIVS FIRMICVS h) quidem, illuc redeundum enim mihi, vnde paulum diuerteram, sepulcrorum ianitores, inquit, videntur dici, quibus illa incumbit functio, vt sepulcra aperiant cludantque. At enim vero tum demum elegans ac concinna huius viri laudari meretur descriptio, cum nullo amplius sepulcrorum custodes, quam vt ianuas aperuerint et clauserint, functos fuisse officio, probatum fuerit. Quare, ne omnia tibi permittas, adcuratius mehercle feceris, si dicas: Sepulcrorum custodes eos olim fuisse dictos, quibus ditiorum hominum et ornandi monimenta et defendendi cura permittebatur. His ita comparatis, dici non potest, quam longe a monimentorum curatoribus sint seiuncti sepulcrorum custodes. Illi enim vt GVTHERIVS i) in libro de iure manium conscripto, censet, rebus administrandis praecipue praeerant, per quosdam quan-

h) Vide sis IVLIVM FIRMICVM de errore prof. rel. l. III. c. XII. l. III. c. IX. l. VIII. c. XXVI. et COEL. RHODIGIN. L. A. l. XVII. c. XXI. p. 798. ed. cit. vbi ipsa FIRMICI verba repetita inuenies. SAGITTARIVS de Ian. vet. p. 115. ed. adduct. Sic vespillones, quos nostri die Todten-Gräber dicunt, adpellari arbitratur, quod et hi sepulcra aperiant cludantque.

i) Euolue GVTHERII de iure Manium commentarium l. II. c. XXXI. p. 351. ed. PARIS. 1615.

quandoque annos hoc munere ornati; hi contra ea in arcendis iis abigendisque, quibus pulcra Lauerna fallere dederat, aliisque quam plurimis exercendis rebus, studium atque operum collocabant. Equidem ad monimentorum curatores quod adtinet, luculenta admodum apud FABRETTVM k) extat inscriptio, quam, fidem cum dictis conciliet meis, adscribere in animo est:

D. M.
EIVSQVE MAESOLEI CLAVES DVAE
PENES ALIQVEM LIBERTORVM MEORVM
ET CVRATOREM CVIVSQVE ANNI SINT.

Quemadmodum vero a custodia cinerum ac monimenti custodum nomen multi fuere sortiti; ita quoque ipsi dicati diis manibus lapides, dum mortuorum multam ab illis arcendo iniuriam, tegebant cineres, eodem nomine insigniuere populi vetustiores. Hinc apud FLEETWOODVM in sylloge antiqu. Inscript. T. I. p. 242.

D. M. S.
SVM CASTAE CINERVM LAPIS PVELLAE
CVSTOS ME RELEGENS PIVS VIATOR
HVIVS COGNITA SI TIBI FVISSET VIRTVS
LACRIMVLIS TVIS RIGARES
EVODIAE CIPARAE
ANN. VI.

§. VII.

HVIVS MORIS ORIGO EXPONITVR. ERANT E FAMILIA LIBITINARIORVM. EORVM MEDII AEVI CONDITIO.

Hactenus sepulcrorum custodes quinam fuerint, explanauimus, proximum est, vt de eorum origine et vitae conditione dicamus. Facillime autem e scriptorum antiquiorum libris, quando inclarescere coeperint monimentorum custodes, intelligitur.

k) RAPHAEL FABRETTVS inscript. antiqu. explicat. c. V. pag. 392. ed. quae ROMAE 1699. in fol. prodiit.

gitur. Scilicet eo tempore hoc hominum genus constitutum ac veluti ciuitate fuisse donatum, existimo, quo viae, horti agrique fere omnes, mortuorum monimentis splendide exstructis, superbire coeperunt. At iam antiquissimis ac cascis veluti temporibus coronae, vt PLINIVS [l]) docet, deorum honos erant, et insigne diis manibus ornamentum. Equidem illi sepulcrorum custodes ad vitae si adtendere velis conditionem, Libitinariorum [m]) tribui ac familiae adscribebantur. Ex quo facile patet, quomodo de eorum origine sit pronunciandum. Quodsi enim mos ille fuerit peruetustus, vt certum quid, DIONYSIO HALICARNASSEO teste, penderetur εἰς τὸν θησαυρὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένης, ἣν προσαγορεύουσι ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων atque simul Libitinarios omnia ad funera adprime necessaria curantes SERVIVS TVLLIVS iam instituerit: nemo profecto dubitabit, quin inter designatores illos, pollinctores, vespillones, sandapilarios, quos Libitinariis adnumeramus omnes, locum quoque inuenerint monimentorum custodes. His ita comparatis, quiuis esse antiquissimum largietur illud hominum genus, quandoquidem ipsi SERVIO TVLLIO efflorescente adhuc Romanorum republica regnanti, debere videtur originem. Sed et libertos eo saepissime munere functos fuisse, legimus. Nempe contemtum plerumque seruorum genus, dum post obitum monimenti curam se habiturum esse pollicebatur, hac ratione, vt ipsis legibus edocti scimus [n]) libertatem pietatis veluti eliciebat praemium. Attamen quo commendatior de libertis sepulcrorum custodibus enitescat sententia, eam quorundam auctorum testimoniis confirmare ac stabilire in animo est. Et quidem de libertis monimenta custodientibus ita PETRONIVS [o]) disserit, vt non obscure, quantopere olim

l) Enolu. PLINIVS H. N. l. XXI. c. III. p. 682. T. II. ed. GRONOV. ibique DALECHAMPII nota, qui hunc aliquando morem a Decemuiris abrogatum scribit. Adde SVETON. in Nerone c. XXXIX. p. 544. ed. GRAEV.

m) Vid. KIRCHMANN. de funere l. III. c. XV. p. 391. ed. cit.

n) Leg. XXXXIV. D. de Manumiss. Testat. Saccus seruus meus et Eutychia et Hirene ancillae meae (hinc et mulieres sepulcra custodiuisse patet) omnes sub hac conditione liberi sunto, vt monimento meo alternis mensibus lucernam accendant, atque ibi sollemnia mortis peragant.

o) PETRONIVS in Satyric. cap. LXXI.

olim ille mos inualuerit, prae se ferat. Eodem munere insignem fuisse libertum dixeris, cuius APPIANVS [p] silentio quod praetermiserit nomen, valde RAPH. FABRETTVS [q] deplorare videtur. At iis temporibus, quae medii aeui denotantur nomine, maxime mutatam inuenies horum custodum conditionem. Non enim amplius libertis illud demandabatur officium, sed, vt IVLIVS FIRMICVS [r] et CAROL. du FRESNE [s] contendunt, pauperes, miseri aliisque vitae praesidiis destituti, quid? quod ipsi, quod mireris, serui degeneres seruandis sepulcris fuere mancipati. Erant scilicet illa tunc tempora, quibus omnis morum elegantia ac decori studium veluti exulare videbantur. Quare concinnius vrbaniusue tum temporis homines vixisse puto, cum Ephesi matrona quaedam, teste PETRONIO [t], defuncti mariti corpus custodiens, vicinarum quoque gentium feminas ad sui spectaculum euocaret.

§. VIII.

A TESTATORIBVS ANTE OBITVM DESIGNATI SEPVLCRORVM CVSTODES.

Perantiqua opinio est, iam inde a vetustissimis propagata temporibus ipsorumque saniorum hominum consensu stabilita,

LXXI. pag. 354. ed. BVRMANN. ao. 1709.

p) Ita enim APPIANVS de bello ciuil. l. IV. pag. 988. T. II. ed. TOLLII, AMSTEL. Ἕτερος ἀπελεύθερος, τάφον δεσπότου φυλάσσων, τὸν δεσπόσυνον προγραφέντα ἐφύλασσεν ἐν τῷ τάφῳ μετὰ τοῦ πατρός.

q) Vid. RAPH. FABRETTVS in explicat. inscript. c. V. p. 393. ed. cit. Columellam ibidem e duobus lateribus insculptam depingi curauit, quae liberto traditam fuisse sepulcri custodiam, indicat:

CHARITO CVSTODIAE
LIB
PROC SEPVLCRI

r) IVL. FIRM. l. IV. c. I.

s) Vide sis CAR. du FRESNE Glossarium mediae et inf. Lat. in voce CVSTOS.

t) PETRONIVS c. CXI. p. 511. ed. cit. Adsociaueris huic feminae insignis, si diis placet, pudicitiae exemplo, caram PROPERTIO amicam, de qua, hanc enim post mortem cinerum sibi custodem fingit, mirifice gloria-

ta, naturam ſcilicet ipſam de animae immortalitate tacitam iudicare, quod omnes ea, quae poſt mortem futura ſunt, ſummopere curare videntur. Omnis enim antiquitas exemplis in illuſtri veluti loco poſitis gloriatur, quibus maximos ingenio viros et publicarum quoque rerum adminiſtrationi adcommodatos de funere ſuo quaedam mandaſſe poſteris ſatis luculenter probari poteſt. At enim vero Cyrum iam e viuis diſceſſum parantem, ita cum liberis fuiſſe locutum, commemorat XENOPHON: u) *τὸ δὲ ἐμὸν σῶμα, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω μήτε ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτε ἐν ἀργυρῷ, μηδὲ ἐν ἄλλῳ μηδενὶ, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. Τί γὰρ τούτου μακαριώτερον, τοῦ γῇ μιχθῆναι, ἣ πάντα μεν τὰ καλὰ, πάντα δε ἀγαθὰ φύει τε καὶ τρέφει; ἐγὼ μὲν καὶ ἄλλως φιλάνθρωπος ἐγενόμην καὶ νῦν ἡδέως ἄν μοι δοκῶ κοινωνῆσαι τοῦ εὐεργετοῦντος ἀνθρώπους.* Quodſi Romanorum hac in re mente conſuetudinem repetas, multos in his metu mortalitatis veluti feſtinantes de rebus poſt mortem futuris, anxie ſolicitos reperies. Et quidem ipſe Romanorum imperator Caeſar Octauianus Auguſtus mandata de funere ſuo vno, vt SVETONIVS v) refert, libro complectebatur. His ita conſtitutis, facillime eſt cognitu, inter alia, quae ante obitum de funere monebant teſtatores, ſepulcrorum cuſtodum factam quoque fuiſſe mentionem. Huic rei fidem conciliaturus perantiqua lapidibus inciſa ac meam ſententiam egregie confirmantia verba adducam. Nempe haec ſunt:

L. VAL FRONTO MILIT IN LEGE XXX. EMIT IN HOC PRAEDIVM ET IN HAC AREA FECIT SIBI VBI PONERETVR ET IPOPH M L CVSTODIBVS FVTVRIS QVOD EX IIS NATVM FVERIT. x)

Praete-

gloriatur l. III. El. XV. pag. 537. ed. GRAEV.

u) Vid. XENOPHON. in Cyropaed. l. VIII. c. VII. p. 238. opp. ed. LVTET. PAR. apud STEPHAN. Hinc I. Caeſar, hoc cum legiſſet, adſpernatus tam lentum mortis genus ſubitam ſibi celeremque optauit, vt SVETONIVS in eius vita cap. LXXXVII. teſtatur.

v) SVETONIVS in Aug. c. CI. p. 294. ed. cit. et, DIO CASSIVS: *Ἐγέγραπτο δὲ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ ὅσα τῆς ταφῆς εἴχετο.*

x) Vid. GRVTERI Inſcript. opus p. MCX. 3.

Praeterea, teste vtor KIRCHMANNO [y]) libertis legata relinquebant testatores ea videlicet conditione, ne a monimentis recederent. At enim vero cum leges ab hac non abhorreant sententia, opus non est, vt plura eam illustrandi causa proferamus [z]).

§. IX.

NOBILIORVM AC DITIORVM TANTVM SEPVLCRIS ADPONEBANTVR CVSTODES.

Iam demum ad pauperum; quae nulla arte polita videmus sepulcra, adgredimur, et vt instituti nobis constet ratio; quorumnam monimentis additi fuerint custodes, explicamus. Pulcre enim videmus, quam inconueniens in tanta paupertate viuentibus, vt qui efferrentur, vix reliquerint, monimenti fuerit custodia. Nam quod legato, tabernis ad sepulcra exstructis aliisque rebus in constituendis monimentoruum custodibus opus erat, credi vix potest, proletariorum sepulcra hominum inter Romanos custodum quodam veluti grege obsepta ac circumstipata fuisse. Sane mos columnas in sepulcris ponendi, si COELIVM RHODIGINVM [a]) audias, nemini, nisi diuiti ac nobiliorum adscripto familiis erat concessus. Tantum profecto aberat, vt pauperum tenuiorumque hominum sepulcris, ne quidem columna dignis custodes adiungerent, vt potius violationi veluti exposita, parcam eorum curam habendam censerent. Quapropter lubens veteri ad HORATIVM commentatori adsentior, qui, RAMIRESIO [b]) teste, cum HORATIVS ad Canidiam scribat: [c])

Nec

y) KIRCHMANN de F. R. l. III. c. XXII. p. 325. ed. cit.

z) Leg. XVIII. D. de Aliment. et Cib. Leg. et Leg. LXXI. D. de Condit. et Dem. et denique Leg. XLIV. D. de Manumiss. Testator.

a) Vid. COELIVS RHODIGINVS A. L. l. XVII. c. XX. p. 794. ed. cit. Columnarum ratio, inquit, PLINIVS, supra ceteros mortales.

b) RAMIRESIVS in Pentecontarcho c. XVII. p. 115. obseru. select. in varia N. T. loca HAMBVRG. 1712. a FABRICIO collect. Adde PETRONII Satyr. c. LXXI. vna cum nota BVRMANNI. Fastum hinc ille liberti elucere putat.

c) HORATIVS Epod. lib. Od.

Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Nouemdiales dissipare pulueres.

monimenta huius census hominum parum curasse custodes, adfirmat. Quis enim, obsecro, nono statim post mortem die defunctorum cineres dispergere ac dissipare sustinuisset, si sepulcrorum iis adsederint custodes, qui tamen monimentorum religione nihil sibi antiquius ac sanctius ducere consueuerant. Quare si quid in his rebus video, solide in Aduersariis scripsit BARTHIVS [d]). Legato aliquo diuites ac nobiliores cauebant, vt essent, qui ad sepulcra viuerent.

§. X.

EORVM OFFICIA RECENSENTVR.

His itaque rite praemissis, de officiis horum custodum curatius exponendum est. Scilicet in eo laborabant sepulcrorum custodes, vt annuam mortuorum renouantes memoriam, monimenta vngerent et coronarent, deinde forium aperiendarum claudendarumque simul curam gerendo, lucernam accenderent, et denique a furibus et omni violatione defendere tumulum, indefessa cura ac studio, adniterentur. Enim vero sollemne antiquissimis erat populis, redeunte post annum mortis die, celebrare et ab interitu vindicare mortuorum memoriam. Et quamuis multis iisque superstitiosis illud caerimoniis, crescente sensim luxu populi peregerint antiquiores; tamen apud Graecos [e]) pariter ac Romanos coronandi monimenta

XVII. p. 234. ed. quae VENETIIS e PAVLI MANVT. Offic. cum LAMBINI comment. prodiit, quem si vis, euolue.

d) BARTHIVS Aduers. lib. X. c. I. p. 461. ed. WECHEL.

e) Omnium adcuratissime vngendi monimenta et coronandi ritus, quo annuam renouabant Graeci defunctorum memoriam, meminit ANACREON Od. IV.

Τί σε δεῖ λίθον μυρίζειν;
Τί δὲ γῇ χέειν μάταια;
Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ,
Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα
Πύκασον.

Vbi

menta et vngendi ritus ante alios veluti adſcitus videtur. At vix operae facturus eſſem pretium, ſi rem iam ſaepius decantatam adcuratius delinearem. Hoc ſaltim dicam, cuſtodum ſepulcrorum in peragendis eiusmodi caerimoniis praecipue ſe exercuiſſe induſtriam. Vnde ſimul patet, cur et ipſae leges f) cuſtodes ad ſarcophagum memoriam quotannis celebrare iuſſerint, et PROPERTIVS g) felicis olim ingenii poeta, huius rei fecerit mentionem. Ait enim:

Adferet huc vnguenta mihi ſertisque ſepulcrum

Ornabit, cuſtos ad mea buſta ſedens.

His autem, GVTHERIO h) teſte, fores in ſepulcris aperiendi claudendique cura accedebat, qua videlicet tantopere tenebantur ſepulcrorum cuſtodes, vt Ianitorum inde nomen, FIRMICO i) id docente, ſortirentur. Neque his peractis eorum munus omnibus numeris abſolutum cenſebatur, adeo multa erant, quibus

Vbi ANNA FABRA in notis ad h. l. pag. 14. C'etoit la coutume de verſer des huiles et des eſſences, non ſeulement ſur les morts, mais ſur leurs tombeaux et ſur les colomnes, ou les ſtatues que l'on mettoit deſſus. Adde ſis XENOPHONTEM in Mem. Socr. l. III. pag. 87. ed. WELS. vbi γονέων τελευτησάντων τοὺς τάφους μὴ κοσμεῖν ſcelus fuiſſe viſum magiſtratui probat. Neque his rebus reipublicae Chriſtianae ciues, recentioribus praeſertim temporibus diem dixerunt, licet magno eos eruditionis adparatu defendere adlaboret IOSEPHVS BINGHAM. Anglus egregius Originum vol. X. l. XXIII. c. III. §. XX. p. 67. edit. GRISCHOV. Lege ſimul CELLARII notam ad MINVC. FEL. Octauium c. VI. pag. 38. ed. CELLAR.

f) Leg. XVIII. D. §. 5. de Aliment. et Cib. Leg. ex qua ſimul cognoſcere eſt, filiis defunctorum ac filiabus hoc munus ſaepe fuiſſe traditum.

g) PROPERTIVS l. c.

h) Vid. GVTHER. de iure manium lib. III. cap. XXXI. pag. 352. ed. cit.

i) IVL. FIRMIC. lib. III. cap. XII.

quibus opera a ſepulcrorum ianitoribus erat impendenda. Nam lucernas ſiue quia monimentorum ſplendorem facere auguſtiorem, ſeu quod defunctorum ſepulcra frequentantibus gratae fore credebantur, in iis adfixas nouimus, quae tanti fuere quibusdam viſae, vt tutius exiſtimauerint, ſollemni veluti lege [k]) earum curam demandare cuſtodibus, quam quidquid demum de iis viſum fuerit, aliorum tribuere iudicio. Denique in eo ſibi operam eſſe ponendam, intelligebant cuſtodes, ne ſcilicet ad monimenta fures, vel qui violare mortuorum domicilia vellent, adgrederentur. Quod vero quibusdam, quae hic referri poſſent, functi non fuerint muneribus, eo minus mirandum, quo certius conſtat, ipſos ſepulcrorum curatores inter multa alia monimenti inſtaurandi curam ſibi traditam ac impoſitam habuiſſe [l]).

§. XI.

VBINAM HABITAVERINT SEPVLCRORVM CVSTODES EXPONITVR.

Ceterum vt ad hoc quoque veniamus de locis, in quibus ſe tenebant ſepulcrorum cuſtodes, breuiter dicemus. Id quod nos non rectius executuros ſperamus, quam ſi partim in tabernis ſepulcro adſtructis, partim in ciuitate, quae non longe a ſepulcris aberat, domicilium habuiſſe cuſtodes, profiteamur. Enimuero cum extra vrbem in viis praecipue, agris et hortis Romanorum ſita eſſent ſepulcra, accidit, vt praeter coenacula ac diaetas, tabernae quoque et aedificia aliquot, defendendi monimenti cauſa, a cuſtodibus habitata, ad ipſas mortuorum aedes exſtruerentur. De quo Romanorum ritu ſatis luculenter exponunt antiqua apud RAPH. FABRETTVM marmora [m]):

T. FLA-

k) Leg. III. D. de Manumiſſ. Teſt.

l) GVTHERIVS l. c. quod in aedibus ſacris aedituum, id in ſepulcris cuſtodes preſtitiſſe, adfirmat.

m) Vid. FABRETTVS l. c. adde BVRMANNI notam ad PETRONII Satyr. c. LXXI.

T. FLAVIVS AVG. LIB. ALEXANDER FECIT
SIBI ET T FLAVIO EPAGATHO ET IVLIAE
COETONIDI VXORI BENE MERENTI
LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQ
EORVM HVIC MONVMENTO CEDIT
CVSTODIAE CAVSA QVAE IVNCTA TABERNA
CVM AEDIFICIO ET HORTO cet.

D M
MINDIA TYCHE FECIT SIBI ET SVIS
ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQ
EORVM CVM AEDIFICIO ET TABERNA
CVSTODIAE TVTELAEVE CAVSA.

Referendum etiam huc eſt ſollemne illud quarundam legum inſtitutum, quae non modo libertos ac cuſtodes, vbi corpus poſitum fuerit, morari iuſſere; ſed tam arctis etiam horum hominum libertatem circumſcripſerunt limitibus, vt ne a monimento quidem recedendi facultatem illis permiſerint. At non defuerunt viri iuris periti, plus illis formularum tantum cantoribus ſapientes, quorum ea menti, cui ego aduerſari nollem, inſedit opinio: ita legis verba eſſe explicanda, vt non certo cuidam loco libertos ac ſepulcrorum cuſtodes veluti mancipare ſed potius inſignem tantum quandam monimentorum curam illis iniungere videantur. His ita conſtitutis dubium non eſt, quin in oppidis prope ſepulcra ſitis interdum morati fuerint monimentorum ianitores, qui tamen ad ſepulcra viſenda forte plus vna per annum vice vrbe egrediebantur. At pluribus verbis opus non eſſe videtur. En ipſam legem: *Titio centum relicta ſunt, ita vt a monimento meo non recedat, ſeu vt in illa ciuitate domicilium habeat.*

§. XII.

MARCI ANTONINI PHILOSOPHI VERBA L. VIII. §. 37. EXPENDVNTVR.

Quod nonnullos diligentius obſeruare noui, vt quoties veterum auctorum verba a gentis cuiusdam more, quem ſibi explican-

dum sumserant, non prorsus abhorrentia viderint, praesidium inde suae se inuenisse sententiae glorientur; id quoque in eo, de quo nunc disseruimus, sepulcra custodibus muniendi ritu euenit, quem multos antiquorum libros luculenter depinxisse, sagacioris alioquin ingenii viri parum adcurate existimarunt. Etenim in eo alucinatus fuit, quem e multis aliis adducam, BARTHIVS, dum sepulcro cognatorum, aut amicorum adsidendi consuetudinem falso ad monimenti custodiam retulit. At licet quaedam sint, in quibus non adeo hos ritus inter se differre intelligimus; multum tamen abest, vt re curatius ponderata vnum eundemque olim morem fuisse, probabilitatis quadam specie euinci possit. Equidem ad fidem dictis meis conciliandam ipsis M. ANTONINI PH. verbis a BARTHIO[n]) ad confirmandam suam sententiam adductis, opus esse, pulcre video. Ita vero scribit egregius vitae morumque censor ANTONINVS[o]): Μήτε νῦν παρεκάθηται τῇ τȣ̃ κυρίȣ, aut vt GATACKERVS emendat, Κύρȣ σωρῷ, Πάνθεια ἢ Πέργαμος; τί δὲ τȣ̃ Ἀδριανȣ̃ Χαυρίας, ἢ Διότιμος; γελοῖον. Τί δὲ εἰ παρεκάθηντο, ἔμελλον αἰσθάνεσθαι; τί δὲ εἰ ἠσθάνοντο, ἔμελλον ȣ̃τοι ἀθάνατοι εἶναι; At quis est, qui in illis custodum sepulcrorum factam fuisse mentionem suspicetur? Enim vero si dicendum quod res est, illud egisse ANTONINVM arbitror, vt eos suaui risu dignos profiteatur homines, qui, dummodo suorum sepulcra frequentantes iis adsederint, se diis Manibus rem perquam gratam fecisse existimarunt. De quo eo minus dubitari potest, quo certius constat, ad studium et amorem defunctis testandum apud plerosque populos sepulcris suorum adsidere cognatos superstites consueuisse. Sane de Graecis in Archaeologia id probat POTTERVS[p]), quos Romanos hac in re imitatos sectatosque fuisse, probe norunt harum rerum intelligentiores. At plures ritus illius, defunctorum scilicet adsidendi monimentis, meminerunt. Inde enim illud HERMOGENIS[q]): εἰ ἐδάκρυες, ȣ̓κ ἂν ἐφρόντισα, εἰ παρεκα-

n) Vid. BARTHIVS in not. ad PETRONII Sat. c. CXI. ed. BVRMANNI insertis.

o) M. ANTONINVS PHIL. l. de rebus suis VIII. §. 37. p. 251. ed. GATACKERI TRAI. ad RHEN. 1697. quam sua iterum politam industria edidit, singulare patriae meae ornamentum V.S.R. CHRISTOPH. WOLLIVS.

p) Euolu. IO. POTTERI Archaeol. Graec. l. IV. c. VIII. p. 580. ed. cit.

q) HERMOGENES de Inuent. l. III. c. IX. Adde CTESIAM in Persicis, quem edit. HERODOTI GRONO-

ϕακαθέζει τῷ τάφῳ, ὐκ, κ. τ. λ. Neque eſt, quod aliter interpretari velimus AESCHYLI verba a GATACKERO in notis ad hunc locum adducta:

ἐφημένη

Τάφῳ, τέκνοις ἔποζε τοῖς τεθνηκόσιν.

Hinc ſane probabile non ſit, ſollemnem cuſtodes ſepulcris adiungendi conſuetudinem, cenſoria, vt BARTHIVS autumat, virgula veluti notaſſe ANTONINVM. Ceterum varia fuere cuſtodum officia, quos ſi ſepulcris tantum adſediſſe, compertum haberemus, fruges potius, vt ille ait, conſumere natos, quam ſeruilibus homines laboribus adſuefactos, profiteremur.

§. XIII.

DE CVSTODIBVS SEPVLCRORVM APVD GRAECOS ET DE SERVATORIS O. M. SEPVLCRO CVSTODIBVS MVNITO DISSERITVR. MONIMENTORVM CVSTODES INTER CHRISTIANOS QVINAM FVERINT EXPONITVR.

Praeter Romanos nemo dubitauerit, ſepulcri cuſtodiae ſtudioſos Graeciae quoque populum fuiſſe, quum ſepulcra et monimenta ſplendidius ſtructa habere in deliciis nihilque magis cauere conſueuerit, quam ne in mortuorum aedes politas ſatis et elegantes, temporum lucifugorumque hominum ſaeuiret iniuria. Sane ſepulcrorum cuſtodiam non plane amandaſſe Graeciae incolas, PETRONIVS [r]) memoriae prodidit, qui dum in enarranda lepida quadam fabula verſatur: in conditorium, inquit, proſecuta eſt defunctum mulier, poſitumque in hypogaeo Graeco more corpus cuſtodire coepit. At non modo Graecos, ſed etiam Iudaeorum gentem hac delectatam conſuetudine dices, apud quos ſcilicet ſacrae litterae ſeruatoris O. M. ſepulcrum ſollemni quadam cinctum fuiſſe cuſtodia, declarant. Quod vt de cohorte hoc tempore ad omnes, GROTIO [s]) teſte, arcendos abigen-

GRONOVIANAE adiunctum nouimus v. 645. ed. HEROD. vbi ait: Ὁ Βαγαπάτης τὸ σῆμα Δαρείου καταχναθίσας ἔτη ζ', ἐτελεύτησε.

r) Vid. PETRONII Sat. c. CXI. et VBBO EMMIVS in lib. de rebusp. Graecorum, qui 1632. apud ELZEVIR. prodiit.

s) HVGO GROTIVS in notis ſuccin-

abigendosque tumultus data, verissimum est: ita inde frustra collegeris, fuisse inter Iudaeos sepulcrorum custodes, quibus ornandi monimentum ac defendendi labor datus fuerit. Verum vt a Iudaeis quoque discedamus, alia in sancta Christianorum ciuitate monimentorum custodum erat ratio. Quamuis enim eodem si BINGHAMUM[t]) audias, quo Romanorum ianitores insigniti fuerint nomine; tamen inter omnes constat, non mortuorum domicilia huius census custodiuisse homines, sed potius loca, piae seruatoris optimi olim dicata memoriae, rite quo defenderent, omni industria ac studio adlaborasse.

Et haec quidem de sepulcris eorumque custodibus sufficiant. Pauca sunt, de quibus dixi. Quoties enim ad legentium fastidium seueriorumque hominum delicias respicio, pulcre dixisse nonneminem, arbitror: *Commendationem etiam ex ipsa libri breuitate peti debere*

COMMENTATIO EXPLICIT.

succinctis ad Matthaei c. XXVII. v. 65. T. II. p. 111. ed. LONDIN. et PFEIFFERVS in operib. philol. T. I. p. 383. ed. AMSTEL.

t) Vide sis IOSEPH. BINGHAMI Origines vol. II. l. III. c. XXIII. §. II. p. 72. ed. cit. et CAR. du FRESNE Gloss. in voce CVSTOS. Talia loca olim sancte custodita fuere Bethlehemum, Golgatha, mons olearum et ipsum denique Christi sepulcrum.

